HERMANNVS MONACHVS.



HErmannus ille patria Vueſtphalus ordinē Ciſterienſem in diocœſi Monaſterienſi pietatis amore aſſumpſit, atq; eius loci fratres in bonis diſciplinis inſtituit. erat enim uir ſacrarum literarum ſtudioſiſsimus, atq; in iure Canonico & Ariſtotelica philoſophia optimè exercitatus. præterea ingenio promptus, & eloquio apertus. Vnde factum cum Eugenius pontifex Baſilienſi Concilio repugnaret, atq; interim Amadeus pontifex ibidem papa deſignatus eſſet, cui plurimi repugnarent, quod Hermānus pro ſua eruditione pontificem illum & Concilium defendendum ſuſciperet. Scripſit itaq; is in Concilio generali de poteſtate papæ & Concilij, de Sciſmate, de Neutralitate: præterea de Vocibus definitis, & multis alijs. Claruit is potiſsimùm anno 1444. eo tempore cum Armeniaci agrum Baſilienſem infeſtarent. Trit.